

III. Nec non Litanix de Sanctissimo No-
mine JESU, cum & suavissimam devotio-
nem erga Christum adspirent, & energiam in
se contineant admirabilem, verissimum enim
est illud Act. 4. *Non esse nomen sub Sole datum*
hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, ideoque
si unquam; isto certè articulo maximè hono-
randum, maximèq; invocandum est.

IV. Eundem in finem ordinatæ sunt pio
multorum instituto, & conventione Litanix
Lauretanae Beatissimæ Virginis, quibus utris-
que Indulgentias annexas esse supra demon-
stratum est.

V. Quibus addi possunt, quæ ex sacris
Scripturis pro ægris, & moribundis concin-
natae sunt, quas primâ parte cap. 15. numer.
6. reperire est; & huic loco accommodare
per levi personarum transmutatione. Ta-
ce commendationi animæ adjunctas, cum
ijs, quæ de Sanctis omnibus, generalibus tan-
tum titulis Angelorum, Patriarcharum, &c.
expressis ordinantur.

VI. Alias orationes, quæ his annectan-
tur devotas, & per opportunas affert P. Phi-
lippus Servius, atq; inter illas tres subjungen-
das. De quibus narrat (verba ipsius annu-
mero ad majorem rei gestæ auctoritatem,)
Reverendum P. Bartholomæum ab Angelis ex
illustri Sancti Dominici familia, libro quem
scripsit de preparatione ad mortem referre.